Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36877
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Arbitrium. De arbitris

Arbitrium est cause iudicande iure voluntarie potestas. Dicitur et arbitrium tercius actus trium personarum compromissum exequentium. Prior est descriptio et melior. Hec adiuncto scilicet cum certarum personarum interpositione et quia voluntarium est generalius est quam ordinario iudicio. Arbiter potest esse omnis qui non prohibetur puta liber homo paterfamilias. Item filius familias vel ... secundum leges prohibetur, secundum canones admittitur. Alie et persone secundum leges repelluntur de quibus iudicis ad plenus. Ordinarius licet prima fronte videatur repelli tamen si partes in eum consentiant potest esse arbiter. Delegatus in causa commissa potest esse arbiter. Item coram arbitro non potest fieri reconvencio. Effectus arbitrii est talis ut si arbiter est assumptus sine pignorum datione vel sine promissione pene non tenentur partes stare eius sententie si tamen partes dixerint placet vel approbo vel infra x dies non contradixerint tunc tenent sententiam. Si vero in arbitro posita sit pena vel pignus in manu eorum stabitur ei. Si vero simpliciter compromissum agetur ad interesse. Item nota quod aliquis arbitrium in se susceperit, non bene procedat cogetur ab ordinario pronunciare secundum formam arbitrii. Item nota quod alio litigatorum mortuo compromissum exspirat, nec extenditur compromissum ad heredes. In fine nota nobis quod cautio de lite prosequenda non exigitur coram arbitrio. Item arbitrium ex compromissum modo fieri potest. Item si compromittatur in duos et ipsi inter se dissenciant in tercium eligant nullum est compromissum et si alias in arbitro processit non valet.

Explicit liber primus qui continet diffiniciones regulas et nobilia CC. iiii. et xxx.

Incipit liber secundus de iudiciis.

Explicato in nomine Ihesu Christi primo loco tractatus precedentis de summa tytulorum excepti in nomine patris eius et filii et spiritus sancti a quibus bona cuncta procedunt, accedamus ad librum secundum qui quia tytulo de iudiciis insignitur. Quid iudicium diffiniatur videamus. Et quidem iudicium sic describitur. Iudicium est actus trium personarum iudicium exequentium scilicet iudicis, actoris et rei. Iste vero tres persone necessarie sunt in quolibet iudicio ordinario et si reus factum negat quarta persona requiritur scilicet testis. Item non processum ultra personarum. Iudex insistet de examinando vita ipsius utpote qui omnia debet rimari. Actor in ampliando sua intencione. Reus extenuando intencionem adversarii. Publica est persona adhiberi debet que acta iudicii conscribat. In extraordinario iudicio quoque sufficit iudex et reus. Et enim iudex ex officio suo in modum inquisicionis procedit. Et tunc fama se pro teste. Species iudicii tot sunt quot et species causarum. Est enim iudicium ci